

## IN QUIBUS CAUSIS PIGNUS TACITE CONTRAHITUR.

### 8.15.1

*Imp. Antoninus A. Sperato.*

Universa bona eorum qui censentur vice pignorum tributis obligata sunt.

*PP. k. Iun. Antonino A. IIII et Balbino cons.* [a. 213]

### 8.15.2

*Idem A. Proculo.*

Certum est eius qui cum fisco contrahit bona veluti pignoris titulo obligari, quamvis specialiter id non exprimitur.

*D. VI k. Mart. Messala et Sabino cons.* [a. 214]

### 8.15.3

*Pars ex rescripto imp. Alexandri A.*

Quamvis fructus pignori datorum praediorum, etsi id aperte non sit expressum, et ipsi pignori credantur tacita pactione esse, praedia tamen, quae emuntur ex fructuum pretio, ad eandem causam venire nulli prudentium placuit.

*PP. id. Oct. Maximo II et Aeliano cons.* [a. 223]

### 8.15.4

*Imppp. Carus Carinus et Numerianus AAA.*

Satis notum est et idem constitutum bona earum in dotem data, quae nuptae sunt his qui primipili sarcinam subeunt, obnoxia necessitati ei teneri: verum certo ordine, ut scilicet tunc demum ad hoc mulieris patrimonium periculum respiciat, si universis viri ac nominatorum facultatibus exhaustis nihil residuum inveniatur.

*D. Vid. Aug. Caro et Carino AA. cons.* [a. 283]

### 8.15.5

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Corinthiae.*

Si non in inductis et illatis in fundum, quae pignoris teneri causa placuerat, mancipia fuissent nec haec specialiter obligata monstrentur, rector provinciae ea restitui iubebit. Nec enim praetextu debiti pensionum restitutionem horum morari potest, cum, si quid sibi deberi domina fundi ex pensionibus vel quacumque ratione probare possit, huius solutionem sollemniter fieri conveniat.

*Subscr. XII k. Febr. CC. cons.* [a. 294]